DISSERTATIO JURIDICA,

DE INJURIIS,

Quam

Divina adſpirante Gratia

permiſſu

Magnifici JCtorum in Illuſtri Albi-
politana Ordinis

PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, ATQUE EXCEELENTISSIMO,

DN. WILHELMO LEYSERO,


J.U.D. & Anteceſſore hujus Athenæi longè celebratiſſimo, Facultatis Juridicæ, Curiæ Electoralis & Scabinatus Aſſeſſore graviſſimo, h.t. Decano Spectabili,

DN. PATRONO, FAUTORE ac PRÆCEPTORE ſuo perpetim colendiſſimo,

Publicæ cenſuræ & examini eruditorum
ſubmittit

JOHANNES GODOFREDUS Mann/
Hayn. Miſn.


IN AUDITORIO JCTORUM,



Ad d. Oct. 1682.

Horis conſvetis.

WITTENBERGÆ, Literis JOHANNIS WILCKII.



I.N.D.N.J.C.

QVemadmodum virum bonum decet famæ thesaurum diligenter custodire adeo ne qvam occasionem sinistræ de se suspicionis nedum locutionis præbeat, uti præcipitur 1. *Thessalon. c.5. V.* ab omni specie malâ abstinete. *Syrac. c. 41 v.* curā habe de nomine bono hoc enim magis permanebit, qvāmille thesauri preciosi & magni: qvia illa caduca & fluxa sunt, opesq; ante nos sæpe, vita nobiscum semper abit, nomen autem & fama æternant, eaq; sola, cum non erimꝰ, erunt. Hinc rectè apud Plaut. dicit qvidam in Mostell. Ego si bonam famam mihi servasso, sat ero dives. Vicissim non boni sed pessimi atq; viri sceleratissimi officio fungitur is, qvi temere alterius famam lædit ejq; boni nominis thesaurum incomparabilem furatur. Cum lædatur verbis Injuriosis fama non minus atq; furto patrimonium. Unde qvoq; Injurians FUR HONORIS, i.e. ein Ehrendieb appellitari solet. *Carpz. Prax. Crim. p.2. qv. 94. n.1.* Fama enim omnium rerum preciosissima est & in æstimabilis *per text. in L. si in duabus 104. ff. de R. J.* graviorq; honoris jactura est qvam vitæ. *L. isti qvidem 8. §. 2. ff. qvod Metus causa, L. justa 9. ff. de manumiss. vindict. Constitut. Elector. 42. in pr. p. 4. Jas in. L. ut vim 3. n. 36. ff. de Just. & Jur. & L. admonendi, 31. n. 228. ff. de Jurejurand.* Petr. Heig. *p 2. q.*

 31. n.

31. n.3. Andreas Gail. *l.2. Obs. 100. n.6.* seu oculorum sive omnium bonorum amissio *L.Infamia.8.ff.C.de decurionibus.* Ideo in Scripturis qvoq; detrectatorum lingva passim gladio, Novaculæ acutæ, armis & sagittis comparatur. Lingva namq; obtrectatoris, inqvit S. Bernhardus est vipera ferocissima, lancea acutissima & gladius anceps imò triceps, imò crudelior, qvod etiam juxta Plutarchum in Apopht. Thearidas Lacon festivo qvondam responso innuit, qvum gladium fortè cote acueret rogatus à qvopiam: num esset acutus, acutior inqvit Calumniatoris Lingva est. Licet autem Crimen Injuriarum qvovis ferro nocentius & aspide qvavis formidolosius *Erasm. in libr. cuj: tit. præscrips. Lingua.* Nihilominus tamen hoc libidinosissimum seclum non videt ullum delictum freqventius nec ullum ferè est qvod vindicetur lentius. Tale vitium enim nunc omnibus ita familiare est, ut Chartarum lusus in Germaniâ & Muscarum numerus ubiq; mense Julio. *Nobilissim: Gvazzus lib.1. de convers. civ.* Ac ut ad exempla deveniam, multi hodiè ad usum transferunt dicterium illud Medii apud Alexandrũ cujusdã Calumniatoris perditissimi. Calumniare audacter semper aliqvid hæret. *Eberhard. Spekh. centur. 2. Class. 3. q.7. n.4.* Qvamobrem de Injuria pro virili jã nobis disserendũ: non ut Injuriã faciamus (qvicunq; enim lingvã in ore habet ita se præparet, ne de aliis malè loqvatur) sed ut indoles mali cũ remediis exhibeatur. Nec obest de hac Materia extare multorum scripta & hanc disputationem fovere, qvæ sparsim hinc inde ex aliis autoribus excerpta sunt: qvia satius esse puto ex variis JCtorum scriptis optima qvæq; congerere, qvam suo uti ingenio. Priusqvam autem ipsa rerum penetralia aggrediar, cum ut habet vetus Proverbium præsente

DEO

DEO, impeditum, fiat expeditum *Nicol. Reusner. l.1.d.1.n.2*, DEum Optimum Maximum precamur, ut nostris praeesse actionibus & mentem ac lingvam ita regere velit, ut non nisi recta agamus & ab iniqvis abstineamus.

Sit itaq; felicibus auspiciis.

THES. I.

QVamvis non iverim inficias delictum etiam generale nomen esse & comprehendere crimen & maleficium. *L.1. ff. de LL. L. 1. l.5. §. ult. ff. de pœn. Joh. Harpr. ad §7 Inst. de Obl: qvæ ex. delict. nasc. n.6.* At tamen privata delicta proprie dicuntur delicta: maleficia & noxæ publica Speciali nomine crimina. *l.2. §.8. C. de Vet. Jur. enucl. l.17. §.18 ff. de Ædil. Edict.* Cujac. *in comment. ad tit. de priv: delict. in f.* Generali itaq; sensu delicta alia sunt publica, qvæ statum publicum offendunt & qvorum delatio in commune omnibus conceditur *argum. §.1. Instit. de publ. Judic. l. qvamvis 30. C. ad L. Jul. de adult. Clar. libr. Recept. Sentent. §.1. n.5. Gomez.3. var. Resolut. c.2. n.1, Petrej. conclus. crim. a. lit. c.* uti sunt adulterium, homicidium &c. Alia vero privata, in qvibus læsio privati potissimum attenditur adeoq; is, cujus inter est apud Magistratum experitur, ut reus ipsi ex delicto obligatus ad resarciendum damnum v. etiam pœnam pecuniariam ipsi præstandam condemnetur, *L. Locatio. 9. §. qvod illicitè ff de Public: l.6 & l.7. §.1. ff. de injur.* & præcipuè sunt furtum damnum rapina qvorum species qvoqve est Injuria.

Hinc injuria est delictum privatum qvo alteri contumelia dolo malo infertur *Excellentiss. Struv. S. J. C. ex. 48. th. 53.*

II. Componitur ex IN h. e. Non & JVRE, qvasi non Jure aut contra Jus facta, dicta Imperat: in pr: Inst: h. t. *Sylvest: in Summ: verb: Injur Ludovic: Gilhaus: de Injur: & famos: Libell. §.1. n.4.*

Hæc vox Specialiter sumpta triplici modo usurpatur, interdum: pro damno culpæ, non jure dato ut in *L. Aqvil: L. sed & si qvemcunq. 5: §. 1. ff. ad L. Aqvil:* Interdum: pro Injustitia & ani-

iniqvitate judicantis *l. 51. in pr: ff. de Evict: l. 8. l. 15. C. eod:* Interdum deniq; pro contumelia *l. 27. §. 2. ff. de Pact:* In qvâ ſignificatione hîc qvoq; accipitur.

III. Cujuscunq; vero generis ſit contumelia, qvam qvis ſe paſſum conqveritur, non poteſt vocari Injuria, niſi voluntas & animus injuriandi adſit, cum dicatur ejus actionis fundamentum ſubſtantiale, ſubſtantia fundamentalis, eſſentiale injuriæ reqviſitum juxta *Andr: Gail: L. 2. Obſ: 99. n. 5. & Petr: Heig: p. 2. q. 31. n. 36.* qvalis animus, ſi verba injurioſa ſint ſemper præſumitur niſi contrarium probetur. *l. 5. C. de Injur:* aut præceptor domino vel cõſvagvineo vel alia talis perſona ſit, qvæ præſumptionem talem excludat *l. 5. l. 6. §. ad L. Aqvil: l. 15. §. 38. ff. b. t. l. 11. § 3. ff. qvod fals: tut: auth: geſt: eſſe dic: Dan: Moller: ad Conſtit: Elector: 42. p. 4. n. 31.* Seqvitur hinc, qvod neq; furioſi & impuberes *l. 3. §. 1. ff. b. t.* neq; dormientes *Pek: in cap. ſine culpa de R. J. in 6. Joſeph: Maſcard: concl: 902. n 15.* etiamq; Ebrii *l. 6. § 7. v: per vinum. ff. de Re Milit:* Et deniq; bruta animalia contumeliam inferre neqveant qvia doli capaces non ſunt & ita affectu injuriarum carent. *l. 1. §. 3. ff. Si qvadr: pauper: fec: dic: Fomann: diſputat: 27. Theſ. 20. Lit: b.*

IV. Ceterum licet hæ perſonæ injuriam inferre neqveant, illam tamen pati qveunt. cum enim hoc delictum dolo patretur & in affectu facientis conſiſtat, conſeqvens eſt pati poſſe etiam eos qvi non ſentiunt. Sic uti defunctis qvoq; ac mortuis contumelia fieri poteſt, ita ut ejusdem hæredes illam vindicare qveant. *l. 1. § 4 ff. de Injur:* Præterea patitur qvis injuriam vel per ſe vel per alias perſonas. per ſemet, cum directo patri familias vel matrifamilias fit injuria, per alias, cum per conſeqventias v. c. qvando vel liberis noſtris, vel ſervis vel uxori nuruive, injuria infertur, qvod iterum duobus modis fieri poteſt: Vel, qvia injuria his perſonis facta ad nos qvoq; ſpectat principaliter, vel qvia nobis una cum illis executio ejus conceditur; ad prius pertinent ſervi §. 3 *inſtit: l. 15. §. 35. 44. & ſeq. ff. b. tit:* ad poſterius filii, *l. 1. §. 5. l. 17. §. 10. l. 41. ff. eod:* Et uxores: per uxorem enim fieri intelligitur marito, unde & maritus ſuo nomine agere poteſt *l. 1. §. ult: l. 11. §. 7. ff. b. t.* idem in ſpon-

Sponso & Sponsa obtinet *l. 15. §. 24 ff. eod* : Qvin & qvandoq; fieri potest ut tribus personis actio nascatur nec ullius per alium consumatur. *l. 1. §. ult : ff. de Injur* : *Bachov : ad Treutl. vol. 2. disp : 10. thes. 7. lit b.* At num fratri affini & aliis conjunctis personis injuria facta alteri illata censeatur, ita ut qvilibet experiri suo nomine possit, plurimi sunt qvi id affirmant, sed rectius negat Carpz : p. 1. dec : 33. n. 6.

V. Fit autem Injuria vel Re vel verbis, qvod probe animadvertit *Job : Schneidew. ad §. 1. Instit : h. t n. 1.* Unde & omnis Injuria alia realis alia verbalis *Hermann : Valtej : l. 1. Jurisp : Rom : c. 49. n. 5. Job : Harpr : in §. 11. v. 1. inst : eod : Andr : Gail. l. 2. Obs : 104. n. 2.* Realis Injuria est (1.) cum qvis pugno pulsatus aut fustibus cæsus s. vulneratus 2.) cujꝰ domus vi introita est aut 3) Si alicujus bona qvi nihil deberet, qvasi debitoris possessa fuerint ab eo, qvi intelligebat nihil eum sibi debere 4.] Cum qvis matrem familias qvæ stolâ utebatur, aut prætextum prætextamvè assecutus fuerit, 5) cujus pudicitiam sc : libidinis causa attentaverit, 6) cum citra contumeliosam corporis attrectationem facto qvis ludibrio ac delectamento habetur, Germani dicunt, einen Narren oder Mönch stechen/ Lingva exerta oculis s. ore distorto & aliis compluribus modis *§. 1. inst : l. 15. §. 27. ff. h. t. l. 5. ff. Satisd : Cog. Cuj. l. 6. obs. 5.* Verbalis vero Injuria dicitur, qvæ fit, vel voce vel Scripto.

Voce si alicui convitium factum fuerit veluti si alicui objiciatur qvod vel jure naturali vel positivo turpe est ac prohibitum *l. 42. ff. de V. S.* E. g. Sempronius Titium Christianum appellavit Judæum seu Cajum nominavit beccum einen Hahnreye &c : nec interest an directis verbis an obliqvis in inferenda contumelia utatur ut, si lenocinium objectu 9 dicat, tu es bonus maritus, tu es bona mulier, honesta virgo *petr : à plac : in Epitom : delict : l. 1. c. n. 13. Job : Harpr : §. 1. n. 17. Inst. eodem.* Neq; alicui Injuriam inferens dicendo tu mentiris, Salvo honore tuo, Salva reverentia, Salva tamen existimatione tua, aut qvod pace tua liceat dicere, protestatione honoris excusationem meretur, qvia est fœdissimum mendacii crimen, graviꝰ furto, certissima animi pestis efficacissimum animæ vene-

num,

num, *Syrac* : *c.20. Act*: 5. *Joh. 8. Ephes. 4.* *Coloss*: 3. *Jac*: 3. *Apoc*: 21. qvod delictum per se est & in famiam committenti infert & qvi alicui objecit injuriarum tenetur *l. 15. §. 5. ff. de Injur*: *l. pen*: *C. eod*: nec protestatio illa adjecta Injuriantem sublevare potest, cum ea sit contraria actui, ideoq; nihil operatur. *Didacus Covarruv*: *l. 1. var. res*: *c. 11. n. 1. Modest*: *pist*: *Cons*: *67. n. 4. Gail*: *l. 2. Obs. 101. n. 2.* Scripto autem: Cum qvis ad infamiam alicujus libellum aut carmen scripserit, composuerit, ediderit, dolovè malo fecerit qvod qvid eorum coràm fieret, *l. 5. §. si qvis & l seq. ff. de Injur.* Hæc vicissim est duplex: aut verè scripta, qvâ si qvis latenter alteri crimen famosum publicè imputet, in peculiare nomen incidit & dicitur famosus libellus. Licet enim libellus famosus sit qvoqve Injuria scripta, attamen non omnis Injuria scripta est famosus libellus, sed perinde sese habet Injuria in scriptis illata ad famosum libellum, ut genus ad speciem: aut qvasi scripta, ut, si qvis ad infamiam alicujus membra virilia, sive vulvas muliebres in ejusdem Janua sive porta pingat. *arg. l. unic. C. de famos. lib. Reform.* G. P. zu Augspurg *de anno* 1548. *tit. 34.* von Schmähschrifften Gemelden und Gedichten / §. 2. deßgleichen nichts schmählichs / Pasqvillisches &c. in was Schein das beschehen möchte / gedicht / geschrieben / in Truck gebracht / gemahlt / geschnizt / gegossen und gemacht / *add.* R. A. *de anno* 1577. §. 35. & *Const. Imper. Spir.* 1570. §. wie wohl auch. *Junct. Nov. Aug. Elector. p. 4. Const. 44. & ibidem Dan. Moller. n. 4.*

VI. Libellus famosus vulgo Pasqvillus appellatur, eo qvod in Urbe Romana propè tabernam Pasqvini Sartoris cujusdam, qvi Papam & Cardinales ob vitia libere & impune vellicare solitꝰ erat, & qvidem eo mortuo statua effingeretur, qvæ joco populari Pasqvinus vocabatur, exinde qvod illic ob dicacitatem notissimus. Magister Pasqvinus habitasset; Sicut autem ille Vivus hominum vitia insectatus fuerat, ita nunc post mortem ejus statua Epigrammatophori munus subiit: cum illic de noctu omnis generis Scripta maledica affigantur, qvæ inde Pasqvilli nomen sibi vendicant. *Zwinger: in Theatr: vit. human: vol: 21. lib: 3. verb:*

Pas-

Pasqvillus. Dauth: de Testam: n.226. Matth: Steph: p. 4. disp: 5. th.13. Et qvia vetustas magnam habet admirationem, nihil etiam antiqvitatis ignorari debet *argum* §. *1. instit: de Testament: Ordin*: non immeritò qværitur, qvidnam fuerit ista statua marmorea & Resp. cum *Jacob: Boissard: p. 2. Rom: Urb: Topograph: & Antiqvit*: ita. Dubitarunt nõnulli qvidnã fuerit ista statua, qvæ jam pridem Pasqvillus vocatur, plures autem in hoc conveniunt Gladiatoris esse simulachrum, nisi volueris Martis aut militis cujuspiam: En enim gestu corporis manet qvasi ferire volentis, ac subter se marmoreum alium mutilatum truncum seu fragmentum habet alterius Simulachri, ut hostem esse pro comperto habuerimus, qvo cum is dimicaret. Ferunt nonnulli hoc esse simulachrum unius ex duobus præcipuis Alexandri Macedonum Regis, militibus qvi & Pasqvillus nomine vocatus sit, qvod innuit autor qvidam, qvi vetusta marmorea & ænea simulachra typis excusit; qvamdiu autem abhinc ibi steterit signum illud, non satis liqvet, sed ut conjecturâ credere facile est, ab eo qvo ædes illæ, penes qvas extant, erectæ sunt tempore, ducentis ferme ab his annis vel circiter. Ædes vero à Francisco de Ursinis Urbipræfecto ut in Ostii superstilio legitur erectæ sunt. Duo tandem in præsentiarum succurrunt de hoc Termino: (α) qvod famosos libellos s. pasqvillos ut vulgo vocant, qvi ab imprudentibus & minimè piis hominibus olim confici consvevere sub hac statua esse appensos ferunt, eo qvod in mediâ ferè urbe sit, ut faciliùs à transeuntibus legerentur. (β) qvod mirum qvidem est, qvod tot tantisq; elapsis annis hæc ibi duraverit statua in publicum ac privatorum præjudicium, nec fuerit unqvam qvi pietatis ac Religionis Christianæ zelo ausus fuerit eam evertere. Cæterum accuratè loqvendo differunt Pasqvillus & libellus famosus: & hic, de qvo *in L. un: C. de famos: libell*: propriè est scriptum, in qvo alicui crimen capitale imputatur, eo fine, ut Judici innotescat, & infamatus exin pœnam capitis subeat, cujus auctor nomen suum subticuit & ignorari voluit. A qvo multum differt liber ad infamiam alicujus compositus in *L. Lex Cornelia 5. §. 9. ff. de Injur: & famos: libell*:

VII Porro Injuria constituitur vel levis vel atrox. *l. 7. §. 5. l. 8 ff. h. t. Zobell: p. 4. d. 7. n. 3. Menoch. l. 2. arbitr: judic: q. c. 3. c. 263. n. 1.* Atrox Injuria potissimum tripliciter æstimatur, ex personâ, tempore vel facto. §. *atrox. 9. instit: h. t. d. 1. Prætor edixit 7. §. ult: ff. eod*: Facto fit injuria atrox; si qvis ab aliqvo vulneratus s. fustibus cæsus. Persona, cum Magistratus s. alia persona Illustris ac conspicua ab humili injuria afficitur wann jemandt hohe und befreihete Persohnen die in Regiement siezen injuriret/Tempore deniq; fit injuria atrox si in convivio s. die festo &c. alicui injuria inferatur. *l. 4. C.* l. *7. §. 8. l. 15. §. 39. ff. de Injur: Jul: Paul: l. 5. t. 4. §. atrox Cujac: ad eundem Observ: 16. Forn. l. 1 Select. 21.* Sed & locus atrocem injuriam facit, v. c. si publicè illata fuerit. §. Atrox injuria. 9. J. de injur.

IIX. Injuria verbalis levis est si qvis aliqvem impudentem, socordem, negligentem appellavit *Job: Harpr: in §. in jur: instit: de Injur: n. 142. Schrader: tom. 2. consil: ult: n. 77.* Leves injuriæ Reales dicuntur omnia vulnera so nicht schwellen Fleischen oder Bludtrunsten vulgo Braun und Blau h. e. verbera so mitt Knütteln oder Prügeln geschlagen oder auch geworffen werden. Item Haar rauffen so nicht schwüllet. Sub qv a specie etiã annumerantur talia vulnera, qvæ infliguntur capiti non transeuntia per cranium, item effractio dentium, mutilatio s. amputatio digiti in manu vel pede Eines zeens & id genus alia *Matth: Coler: dec: 161. n. 57,* Landt R: *l. 2. art: 6. vers:* Jeglicher Finger/*juncta Glossa latina ad text: Germanic: ibid: lit: K. in medio.*

IX. Reales autem injurias graviores s. atrociores vocamus illa vulnera, qvæ vulgo Kämpffer Item Bein schröttige Wunden / offene Wunden Schandtmahl und Lämbden dicuntur: qvales qvoq; sunt cicatrices circa effusionem sangvinis. *Zobell: p. 4. dist. 7. n. 27.* Et pertinent ad superiorem Jurisdictionem zum Obergerichte. Jure Saxonico enim Jurisdictio in Altam s. superiorem i. e.

Ober-

Obergerichte/Halßgerichte/& Bassam s. Inferiorem. i. e. Erb-oder Niedergerichte dividi solet. *Dn: Struv: Ex: 4. thes: 80.* Illa continet omnem graviorem delictorum animadversionem cum vulneratione sangvinolenta. Wann es Wunden oder Beulen seynd/daraus Wunden werden/qvorum pœna est ultimum supplicium, fustigatio, manus amputatio, etiam Relegatio. Hæc vero causas pecuniarias & leviorum delictorum coërcitionem citra vulnerationem *Hahn: h. t. n. 8.* Wann man Blau und Braun oder Bludrünstig geschlagen. *Berlich: p. 1. concl. 1 n. 10. & seq. Carpz: Prax: Crim: p. 3. q. 109. n. 31.* Cæterum levis injuria realis ad verbalem collata pro atroci habetur: qvò pertinet Edictum D. Johan. Georg. II. Saxon. Elect. p. m. de 3. Mart. 1677. qvo verberationes (das Prügeln) severè inhibitæ fuere. Atrox Injuria verbalis est, si qvis malitiosè & calumniose diffamet se hujus vel illius conjugem s. virginem aut viduam carnaliter cognovisse. *Eberhard. Spekh: Cent: 2. Class. 3 q. 9.* Et hactenus de Injuriarum illatione.

X. Cujus pœna olim qvidem ex LL. 12. Tabb: propter membrum ruptum talio erat. *§. 7. Instit: h. t. Oldr. & alii ad LL. 12. Tab. Aym: Rivall: l. 2 Hist: Jur: Civ:* propter os vero fractum & alias Injurias pœna nummaria XXV. scilicet assium erat. *Hotom: ad eundem §. Inst: de Injur:* Ex qvibus qvoq; jus Saxonicum desumptum videtur, qvo reus intra legitimum tempus XXX. solidos solvendo se ab instituta actione Injuriarum, etiamq; criminali liberare poterat *Glossa* in Landt R. L. 1. *art: 68. n. 3 Vers:* Ob Sie wohl zum ersten *Modest: Pistor: Vol. 1. cons: 26 p. 4. n. 47. vers:* Ich habe auch wohlgesehen *junct. n. 51. vers:* Wiewohl. qvod postea Elector Saxoniæ Augustus in suis provinciis edita *Constit: 42. p. 4.* §. Nach dem wir. sustulit, denuo vero Sereniss: Elect: Johannes Georgius 2. in *Novell: Ord: Polit: de anno 1661. tit:* Von *Injuri*ren/Schänden Schmähen §. 4. *verb:* Wir wollen auch hiermitt die Verordnung und Satzung des S. Rechtens in Inju-

rien Sachen nochmals auffgehoben und unsere constitution wiederholet haben &c: corroboravit. Sed non erimus de eo amplius solliciti, qvoniam pæna LL. 12. Tab: diu exolevit, aliaq; pœna substituta est; à Prætore n. pœna pecuniaria imponitur, qvæ à læso qvidem æstimatur, à Judice vero taxatur secundum gradum dignitatis vitæq; honestatem *Zobell: p. 4. dist: 1. n. 6. D. 2. n. 4. Mev: p. 2. dec: 209. Cujac: l. 7. Obs 5. & 13.* Hinc s. carcere s. relegatione s. fustigatione reus & ita pro arbitrio Judicis punitur, qva de re loqvitur D. Augustus Elect: *in* d. *Const: 42. v.* Darüber und darneben sol auch solcher Muthwilliger Schänder und Injuriant Wilkührlich mit einer hohen Geldbusse mit Gefängnüs oder mit zeitlicher Landes Verweisung gestrafft/oder auch nach gelegenheit der Persohn der Zeit oder Orter und anderer Umbstände mit Stauppenschlägen des Landes Ewig Verwiesen werden: & id *Nov: Ordin: Polit: tit: 5.* Von Injurien §. 3. qvoq; fere similibus verbis repetitur.

XI. Nunc progrediemur ad illatæ injuriæ vindicationem, qvæ est, qva injuriam nobis illatam propulsamus s. nos defendimus. Eaq; est vel privata vel Judicialis. Privata Vindicatio, qvæ vulgo Retorsio dicitur, est, cum qvis in continenti Injuriam verbalem alia verbali propulsat qvæ omnino admittenda: præsertim in foro etiam Saxonico. Sicuti enim arma armis repellere licet, cur non qvoq; verba verbis: modo moderamen servetur, nec ex intervallo aliqvo temporis sed uti jam dictum incontinenti fiat. *Joh: Harpr: in §. hac actio 12. n. 97. Inst: de Inj: Andreas Gail: l. 2. Obs: 101. n. 5. Modest: Pist. vol. 2. Cons. 3. n. 34.* Alias Retorsio valere non potest, ut nec Retorsio Retorsionis; sed utrumq; de sua injuria agere oportet. *Dan: Moller: ad const: Elect: 42. p. 4. n. 35.* Hæcce ergo duo reqvisita probè nunc observanda sunt in Retorsione, qvæ hodiè apud nos communiter per Schedulam aut libellum coram Notario & testibus interponi solet, ac in hisce s. aliis similibus verbis & formalibus,

daß

daß er/der Injuriant oder calumniant ', als kein ehrlicher Mann die Wahrheit gespahret / oder er der geschmähete hielte ihn so lange für einen solchen Menschen/worfür er ihn ausgeben/ bis ers ihm beweise/ propriè consistunt juxta *Nov: Dec: Elect: 85. in verb:* So sollen zwar in unsern Landen dergleichen in rechten zugelassene Retorsiones nochmals verstattet werden. Ex qvibus rationibus qvoq; statui potest, qvod in præsentia Judicis in Injuriantem crimen falso objectum retorqvere liceat, modo nullum convitium evomatur. Proindè licet injuriis provocatus & fur s. latro vocatus Injuriantem mendacii arguere & exaggerandi causa qvoq; addere possit. Tu mentiris ut fur, s. latro; non tamen tu fur, tu latro, qvia hæ diversæ sunt locutiones & ad offensionem rei ac vindictam magis qvam defensionem tendunt. *Schrader : in tr : de Feud: p. 9. c. 4. n. 115.*

XII. Seqvitur nunc Judicialis Vindicatio, qvæ fit instituta Injuriarum actione, cum nullibi reperiatur in jure prohibita, sed potius expressè probata. Instituitur autem Actio vel Civiliter vel Criminaliter. Adfinis est actio ea, qvæ ex *L. Aqvilia de damno injuria dato & L. diffam. C. de Ingen. manum.* descendit, qvæ etiam ad alia extra injuriarum caulas extenditur ac porrigitur. *Abb. in c. Si qvis circa princ. de for. Competent. Bartol. in l. fin. §. eleganter ff. de damno infect.*

XIII. Civilis actio est (a) qva injuriam passus Injuriam æstimat & petit, ut Judex reum in æstimationem illam condemnet, eamq; sibi applicet, salva tamen ipsius taxatione sive moderatione *§. 10. Instit. h. t. Schneidew. ibidem n. 1. Heig. eod. §. n. 3. & seq.* Non autem satis est, in genere interesse peti; sed tutius esse volunt, ut injuriatus certam qvantitatem exprimat *Berl: p. 5. concl: 61. n. 71.* nec tamen necesse est, ut æstimationem ad damnum referat, qvod nimirum tantam pecunia summam perdere maluisset, qvam ejusmodi pati injuriam; Sufficit namq; si absq; ulla relatione actor dicat, se à Cajo passum esse ta-

lẽ injuriá, qvam tanti æstimet, petatq; illú in eá summũ condemnari; etsi injuriatus æstimationem ad lucrum referat qvin libellus adhuc subsistit. *Ægidius Boss: in pract: Crim: de injur: n. 2.* Sicuti nec præcisè exigitur, ut actor æstimationis qvantitatem juramento confirmet, sed licitum ei est absq; juramento, (qvo casu etiam ab omni probationis onere liberatur) certa qvantitate expressa moderationem arbitrio judicis committere, qvæ æstimatio vere Judicialis est, tantoq; magis reum obligat, qvanto minus Judex errare præsumitur, qvi propterea hac in re prudenter agendo, pro ratione personarum ac qvalitate injuriæ taliter æstimationem moderabitur, ut minimum reus lædatur, nec actori ullatenus præjudicetur, *Carpz. prax. Crim. p. 2. q. 95. n. 10.* qvod in tantum necessarium, ut etiamsi actor summam expresśâ Juramento confirmare velit, Judex nihilominus taxationem sive moderationem adhibeat, qvæ commodisśimè juramentum præcedit, qvod actor postea præstare tenetur. *Mynsing. c. 1. Obs. 84.* Si verò Injuriam passus ad moderationem judicis jurare nolit, ex eo qvod minus petitione suâ æstimatum sit, judicem per interlocutoriam sub comminatione absolutoriæ sententiæ juramenti præstationem injungere posse testatur *Gail. l. 2. Obs. 102. n. 11.* (β) ad Reclamationem sive Palinodiam, auff einen Wiederruff agitur. Illam æstimatoriam, hanc vero recantatoriam vocant. §. *in summa vers. sed postea pretores Inst. de Injur. Marant. in Spec. p. 4. Jud: dist: 1. n. 5 & 6 Zobell. p. 4. dist. 7. n. 17. Nov. Ordin Polit. tit. 5. §. 7.* Verb. Wolte denn der Beleidigte lieber ad æstimationem oder auff einen Wiederruff zu Recht Palinodia genandt / ordentlich klagen. Reqvirunt hæ actiones processum ordinarium juxta regulam, qvod omnis actio ordinaria sit, nisi summariâ eâ esse probetur: qvamvis summariè & levato velo causæ injuriarum etiam absq; ullo strepitu & solenni figura Judicii, uti Jura loqvuntur, tractentur, & ita in processu summario velocisśimè ventilentur; Sed hoc ex d. Ord. Polit. tit. 5. von Injurien §. 5. Verb. Darmit aber Rittermäßige und andere ehrliche Leute über den weitläufftigen Proceß zu klagen nicht Ursach haben.

XIV

XIV. Scire autem convenit, qvod qvidem hæc actio ad reclamationem Jure Civili plane fuerit incognita, usu tamen fori & consuetudine Germaniæ fere universali non solum Ordinatione Imperatoria Camerali *p.2. tit. 28.* §. und sonderlich setzen approbata, sed & qvondam ab Electore Saxoniæ Augusto publica constitutione *42. p.4. Verb.* Setzen/ Ordnen und Wollen recepta; qvæ DD admodum torsit an sit criminalis an vero Civilis habenda. *Daniel. Moller. ad hanc constitutionem n.2. & Robert. Marant. in suo Speculo p.4. dist.1. n.17.* putant eam merè criminalem sed rectius asseritur eam esse merè civilem; cum illa 1. tendat non ad pœnam corporalem, sed ad interesse privatum. 2. Noti Juris est, qvod in criminalibus Judiciis vel ad crimen perseqvendum, vel ad crimen defendendum regulariter procurator intervenire prohibeatur. *L. pen. §.1. ff. de publ. Judic. l.1 ff. an per al. poss. redd. caus. appell.* In actione Injuriarum ad Palinodiam diversum observari & procuratorem tam agendo qvam defendendo admitti constat. 3. Si criminalis esset neqve in Camera Imperiali reciperetur, cum ibi ex Ordinatione nulla causa Criminalis, præterqvam in causa fractæ pacis publicæ ventilari possit ac debeat; posterius falsum est qvia qvotidie in Camera actiones ad reclamationem recipiuntur & tractantur. *Gail. l 1. Obs.65. n.5. Mynsi.c 4. Obs.98. n 8.* Imo nec pœnalem esse sed solummodo concernere Jus partis læsæ ac violatæ famæ reparationem statuit *Carpz. prax. Crim. p.2. q 94. n.15.* Hinc indifferenter cujuscunq; generis ac conditionis personæ Injuriarum conventæ palinodiam præstare debent; qvæ ex eadem ratione qvoqve contra collegium & universitatem locum habet, qvia universitas perinde, ut alius privatus conveniri potest, *Matth. Berl. p.5. Concl.61. n.20.* Neqve Clerici à præstatione Palinodiæ immunes sunt, qvamvis non desint qvi dissentiant opinantes, qvod qvidem ab Injuriato veniam rogare adstringantur, non retractare eam atqve se mentitos dicere. Sed haudqvaqvam videre possum, qva ratione personæ Clericorum & eorum cavillandi animus eximi debeant à recantatione qvos non eximit *Const: Elect. 42. p. 4. Verb.* Daß ein jeglicher wer der auch were/ *Carpz. prax Crim. p 2. q 96. n.20.* Æqvè ad palinodiam reus obligatus

bligatus eſt,defuncto Injuriato,ejus hæredibus lite conteſtata : defuncto vero Injuriante ſive lis conteſtata fuerit ſive non,in ejus hæredes non tranſit,ſed morte Injuriantis ſimpliciter expirat ut adeo licet hæc actio qvoad Injuriati perſonam ſit rei perſecutoria,attamen reſpectu injuriantis & rei conventi videatur pœnalis & famosa & ſic conſeqventer in hæredes iſtius non tranſeat,tanqvam ad qvos nihil pervenerit. *Ferdin: Vasq: l. 3. Cont: 96. n. 8.* Quandoq; tamen Judex ex æqvitate circumſtantiarum palinodiam in nudam deprecationem ſ. declarationem convertere reumq; ad petendam veniam ab injuriato condemnare poteſt ,*Carpz: Prax. Crim: p. 2. q. 94. n. 18.*

XV. Sed qvid? ſi reus convictus nolit tamen Palinodiam cantare,& coram Judice verba injurioſa palam revocare?Tunc, ſi ſit præſens pro qvalitate perſonæ vel carcere,vel mulcta pecuniaria aliisve modis,qvibus Judex Jurisdictionẽ ſuam tueri poteſt ac debet,coercendus eſt,donec ſententiæ pareat & Palinodiam canat *Berl: p. 5. Concl: 62. n. 37.* Renuente vero reo etiamnũ injurias reclamare effluxo determinato ſpatio,in carcere ulterius detinetur & pane ac aqva cibatur,cum comminatione ſeverioris pœnæ etiam relegationis itemq; qvod in caſu ulterioris contumaciæ lictor nomine ejus injurias recantare debeat:qvod ſi iterum non attenta hac comminatione id facere recuſat,lictor adſciſcitur , qvi nomine rei injuriam recantat, præſente& audiente eo:tũq; ſimul relegationis pœna executioni mandatur: *Carpz: prax: Crim: p. 2. q. 94. n. 26.* Si vero abſens ſit reus,ſub pœna pecuniariâ citatur,ut in judicio compareat & ſententiæ ſatisfaciat: ſi autẽ in judicio comparere nolit,nec copia ejus haberi poſſit,ſed contumaciter emaneat , ſententia illa in qva revocatio reo injuncta eſt publicè,non ſolum in loco Judicii ſed & in loco injuriæ commiſſæ,& ubi reus alias degit, affigitur,adhoc ut omnibus innoteſcere poſſit.: qvo ipſo fama & exiſtimatio actoris offenſa ac *læſa* injuriis haud parum reſtituitur *Matth: Berl: dict. Concl. 62. n. 41.* & ita ſententionatum in Aula Aldenburg: refert: Erkennen von Gottes Gnaden Wir Johann Philip Herzog zu Sachſen &c: Daß beklagter zu gebührender

render execution des am 27. Novembr: anno. 1616. eröffneten Urthels nochmals anderweit bey Straffe 400. Reichsthaler zu citiren / mit dieser Verwarnung / da er nicht erscheinen würde / daß als dann mit den gesuchten Anschlag des Urthels öffentlich wieder ihn sol verfahren werden. V. R. W.

XVI. Ubi porro breviter tenendum est, Palinodiam, item qvando ex L. Diffamari. C. de ing: manum: ex causâ injuriarum agitur, cum actione injuriarum æstimatoria neqvaqvam cumulari & ita utramq; in uno libello actorem minime proponere posse, uti iterum sancitum in *Nov. Ord: Pol: tit. 5. §. 5. Verb:* Es hat aber das beleidigte theil wegen einerley injurien auff den wiederruff und æstimation der Injurien oder eine Geldbusse / weile beyderley des Klägers privat interesse concerniret / zugleich nicht zuklagen: qvod etiam approbat *Carpz: Prax: Crim: p. 1. q. 95.* Item *Proc: Judic: tit: 20. art: 2. n. 26 & 33.* Ubi formulam sent: ponit, würde Kläger eine förmlichere klage anstellen und beklagten entweder actione injuriarum oder ex L. Diffam: alleine belangen; So ist beklagter auff vorhergehende Ladung mit ferner Rechtlichen Nothdurfft sich darauff ein zulassen schuldig / ferner darauff zubeschehen was recht ist. V. R. W. Secus tamen qvandò ex L. Aqvilia actio instituitur *Gail: l. 1. Obs: 63. n. 9.* Et qvia libellus est fundamentum Judicii ad qvem totus refertur processus, unde & truncus nuncupatur arboris Judiciariæ: *Modest: Pist: Vol: 2. cons: 21. n. 4. Ventur: de Valent: in parthen: litig: l. 2. c. 13. n. 17.* Ideoq; incumbit Advocatis & litigantibus actiones suas ita formare, ne ineptitudinis vitium incurrant, & plane rejiciantur, ut monet *Carpz: Process: Judic: tit; 6. art: 1. n. 1. & 2.*

XVII Accedimus nunc ad Criminalem actionem, qva injuriam passus petit, ut reus officio Judicis ob Injuriam illatam pœnâ extraordinariâ vel in corpore vel irrogatione mulctæ non sibi sed fisco applicandæ puniatur. *§. 10. Inst: h. t. Schneidew: ibid: n. 1. Petr: Heig: eodem §. n. 3. & seq: Hyeron: Treutler: vol. 1. disput; 12. thes: 1. lit: d.* Sicuti enim injuriæ differunt, & sunt aliæ vel atroces vel leves, ita nec eadem pœna dictari potest: qvod si enim qvispiam tam audax & temerarius existeret, ut

contra personas in eximia dignitate constitutas veluti principum cancellarios, consiliarios, atroces injurias evomat, relegationem imo fustigationem pro ratione circumstantiarum Injurianti irrogari posse qvis negaverit propter verba *Const: Elect: 42. p. 4. Vers*: Darüber ibi: oder auch nach gelegenheit der Persohn/ Zeit oder örter und anderer ümbstände mit Staupenschlagen des Landes Ewig verwiesen werden. Nec desunt qvi affirmant Judicis arbitrium pro personæ dignitate ad pœnam mortis extendere licere. qvorum sententiam secuti fuerunt JCti Francofurtenses M. Maj: Anno. 1614. pronunciantes sic contra C. B. qvi verba Injuriosissima in Seren: Electorem Brandenburgicum protulerat, addita tamen clausula; ut si Elector Serenissimus reo gratiam facere vellet, pœna mortis in severiorem fustigationem converti deberet. Cui sententiæ analogia juris non repugnat. Alii tamen statuere malunt, ob iniurias verbales etiam nunqvam atrocissimas mortis supplicium irrogandum esse. *Beat: Carpz: Prax: Crim: p. 2. q. 94. n. 48.*

XVIII. Si Magistratui vel Judici injuria verbalis inferatur pro ratione circumstantiarum pœnam perpetuæ relegationis imponendam esse tradit *Carpz: d. q. 94. n. 38 & 42.* Unde colligitur non minorem pœnam illis deberi, qvi Magistratum injuriis realibus afficere non verentur, qvod delictum tanto atrocius videtur, qvanto majori audacia & malitia illud perpetratur; ut dubium haud sit, qvin graviter qvoq; vel fustigatione vel ad minimum relegatione puniri debeat, *Carpz: Pract: Crimin: Part: 2. q. 100. n. 2.* neq; posteriori casu hæc pœna sufficit, sed & injurians omnes insuper expensas in curationem factas omneq; damnum & inter esse præstare cogitur, *test: Consult: Const: Saxon: tom. 2. p. 4. q. 50. Constit: Elect: 45. p. 4. Anton: Tessaur: dec: 18. n. 12.* Tandem, si præsupponamus gravissimam realem injuriam, ut si qvis Magistratum crudeliter vulneraverit, licet eum non occiderit, pœna gladii plecti potest. *Berl: p. 5. Concl: 66. n. 10.* Ut tamen pœna illa locum habeat, reqviritur 1. ut judici pro tribunali sedenti vel in executionis aut in aliqvo actu judiciario & ratione officii versanti injuria inferatur; si enim qvis non contemplatione officii sed ex odio privato affectu & inimicitia

micitia Judicem offendat; non atroci illa pœna, sed qva alii injuriantes plecti solent punitur *Roland: à Vall: vol. 3. Cons: 48. n. 13.* In dubio autem injuria Judici facta potius ex odio privato qvam contemplatione officii facta præsumitur *Farinac: pract: Crim: q. 17. n. 43.* 2. Ut circumstantiæ delictum aggravent, nec supplicium mitius sufficere videatur, *Carpz. d. q. 100. n. 12.* 3. neq; prius ab ipso judice injuriis sit affectus. *Clarus. lib: 5. Sent: q. 68. §. ult: n 21.*

XIX. Non minor qvoq; est injuria realis, qvæ parentibus infertur, ut qvibus, si non major, æqvalis tamen honor ac reverentia debetur. *l. prætor 7. §. atrocem 8 ff. de Injur:* contra qvod debitum liberi si peccent graviter delinqvunt, & pœna arbitraria à Magistratu sunt afficiendi. *Matth: Wesenb: in Parat: ad L. Pompei: ff. de parricid: n. 12.* Aut enim injuria parentibus illata est gravissima & atrocissima, ut vulneratio aut percussio prope lethalis; aut vero aliqva ex parte levior, ut si filius patri manus impias intulerit, eum verberando vel pulsando, aut injuriis tantummodo verbalibus eum affecerit: Illo casu liberi impii & protervi fustigatione aut amputatione manus sunt plectendi, atq; in perpetuum relegandi, ita tamen ut non omne prorsus arbitrium moderandi pœnam parentibus sit ademtum: si enim injuriam parentes remiserint ac pro filiis intercesserint, pœna qvoq; corporis afflictiva remittenda erit, iiq; nonnisi arbitrariè, puta relegatione temporali vel perpetua, puniendi, *juxta l. 3. C. de pat: potest:* hoc vero, ob injurias nempe leviores verbales vel reales absq; vulneribus illatas filii relegatione vel carcere, in qvo pro ratione circumstantiarum pane & aqva cibandi sunt, puniri possunt *Carpz: Prax: Crim: p. 2. q. 100. n. 40. & seq.*

XX. Præterea de hac actione omnino notandum, qvod qvamvis civilis actio cum criminali conjungi ac cumulari neqveat, peculiariter tamen in actione injuriarum in favorem injuriati receptum sit, ita ut Actio ad palinodiam cum criminali bene concurrere possit, qvarum una electa alteram nō consumit *Constitut: Elector: 42. p. 4. §.* Darüber. *Berl: p. 5. Concl: 62 n. 13.* licet non negem in eo casu, qvando actor certa pecuniæ summa injuriam sibi illatam æstimans ad pœnam insuper agit & ut reo

 impo

imponatur in libello petit · , actionem' subsistere non posse: qvoniam id nimis contrariaretur regulæ , qvæ neminem duabus pœnis affligendum esse dicit. *Wesemb. p. 1. Cons: 22. n. 19.* Qvamvis autem parti offensæ vel civiliter vel criminaliter actionem instituere licitum sit, nemo tamen invitus agere cogitur. *l. unic: C. ut nemo invit: ag.* Nec enim injuriatus periculum famæ sentit, nec existimatio ejus læditur, qvi vindicare injurias nolit: qvemadmodum enim existimationi illius, qvi laudatur ab eo, qvi nulla laude dignus est , parum aut omnino nihil accedit, ita de honore & existimatione viri gravis & honesti nihil detrahitur verbis injuriosis à levi qvopiam homine in eum prolatis *Dan: Moller: ad Const: Elect: 42. p. 4. n. 6.* qvare nec Scabini Lipsienses anno 1626. pronunciare dubitaverunt, Injurias vindicare nolentem ad dignitatem senatoriam omnino esse admittendum teste *Carpz. prax: Crim: p. 2 q. 95. n. 94.* Nihilominus graves & honesti viri, qvibus gravior honoris qvam vitæ jactura esse solet *L. 7. §. 2. ff. qvod met: ca.* non facile indefensam famam suam relinqvunt; qvod ut fiat, publice etiam expedit: hinc sæpe fit, ut delictum hoc, ne scilicet remaneat impunitum, coerceri soleat per modum Inqvisitionis h. e. diligentem investigationem & explorationem docente *clariss: Brunn: tract: de Inqvis. c. 5.* cujus origo à condito mundo & lapsu primorum parentum dependet *Gen: c. 3. v. 8. & seq*: Ubi DEus Adamum & Evam post lapsum noluit statim inauditos & non citatos condemnare, sed maluit potius inqvisitione facta & prævia cognitione causæ in legum transgressores animadvertere.

XXI. Qvare Judices, qvi causa & crimine non satis perspecto , haud raro odio privato magis qvam officii ratione commodiq; publici amore adducti ad remedium Inqvisitionis prorepunt, (qvos ita delineat Legalis Apex & Justitiæ Clypeus *Dn. Carpzov. prax. Crim. p. 3. q. 107. n. 20.*) non solum materiam circa qvam Inqvisitionis bene ponderent i. e. ipsum crimen ejusq; qvalitatem & pondus, sed & personam delinqventem tanqvam objectum in concreto, qvia hic non de glande legenda aut oleo

&

& tritico, sed de vita & salute hominis, qvibus tamen nihil est terrarum præstantius *Novell. 8. Hipp. de Marsil. in pr. Crim. §. decurionem* agitur: ne inqvirant contra eum, contra qvem jure haud licet inqvirere, *Prosper. Farin tract. de Crimin q. 3. & seq.* qvem in finem saluberrimus in foro Saxonico mos obtinet, ut ad inqvisitionem judices non soleant propria authoritate devenire, sed regulariter consulant Collegia Juridica missis simul indiciis, an justam inqvirendi causam habeant. *Clariss. Dn. Brunnem. in Commentar ff. tit. de Accusat. n. 12.* qvod & diserte sancitum legitur in celebri rescripto *B. Augusti de an: 1579. ad Scabinos Lipsienses & in Ordin. Polit. de an: 1612. tit.* von Justitien Sachen *§ 5. verb.* Da aber in einen und dem andern Fall unsern Ambtleuthen erheblicher Zweiffel vorfiehle/ sollen sie zuvor ehe sie zu der Inqvisition schreiten / so wohl auch folgends sich in den Schöppenstühlen des Rechts zu belernen oder in unserer Regirung Bescheids zuerholen schuldig seyn. Ratio in ipsa constitut. prælaudata §. Weil bißher exprimitur, qvibus qvoqve annumeranda est die Erledigung der Landes *Gravaminum de an: 1653. & 1657. tit.* von Justitien Sachen. §. daß zum 60.

XXII. Et qvia per hoc Inqvisitionis remedium virorum honestorum fama & existimatio haud parum gravatur & sugillatur non debet Judex temerario ausu & motu proprio qvibusvis improbis delatoribus aures credulas locando ad Inqvisitionem festinare, sed potius cautè ac providè agere, nec qvicqvam intermittere, qvod ad inqvisiti liberationem ac innocentiæ probationem facere potest, *L. addictos C. de Appell.* P. H. O. *art. 47.* Etiamsi de malitia Inqvisiti aliqvo modo constare videatur. Satius enim impunitum relinqvi facinus nocentis qvam innocentem damnare, *l. 5. ff de pœn l. 47. ff de Obligat.* Si autem modum procedendi legibus præscriptum debito, qvo par est studio non observet, tunc Judicem injuriarum qvoqve conveniri posse non est dubitandum. (Judex enim non faciendo suum officium ad interesse videtur se obstringere arg. *l. ult. C. de pœn. Jud. qvi male Judic. l. 4. C. de Custod. Reor:*) Et non Advocatum, qvi de ejusmodi præcipitantia conqveri debet, qvia officium Advocati ideo inventum est, ut litigaturis succurratur, qvi suum tueri & causam

 dicere

dicere ignorant. *Jacob Menoch. de arbitr. Jud. qvæst. l. 2. c. 369.* itemq; innocentiam defendere ac conjuvare qvoqvo modo possunt *Jul. Clar. l. 5. sentent. § ult. q 32. n. 16.* modo Cliens justam litigandi causam habeat *Ordin. Torg de an*: 1555. *tit.* von Advocaten *§. 4. vers.* Es sey dann. Secus tamen, qvando Advocati in ipsum Judicem cavillando procacius & effrenatius invehuntur. *Joh. Petr. Alan. in tract. de Advocat. & causid. Christ p. 2. ex. 6.* wañ sie die Feder gar zu scharff spitzen/ qvæ certè malitia est diabolica & pœnam arbitrariam meretur.

§. XXIII. Etsi vero sæpius Injuria Magistratui illata per Inqvisitionem officio Judicis puniri soleat; ad id tamen, ut Judex in propria causa procedere possit, docente *Gailio l. 1. Obs. 39. n. 1.* reqviritur. (1.) ut Injuria Judici ratione officii sit illata, qvia in causa Injuriarum homines privatos concernente Inqvisitionem formari prohibetur, præalleg. *Ordin. Polit. de an*: 1612. *tit.* von Justitien Sachen §. 5. in Verb. Dargegen wann ein Privatus wider den andern. (2.) Ut injuria sit evidens & notoria nec altiorem reqvirat probationem: in crimine enim notorio omnis solennitas Juris remissa intelligitur *c. qvando. de Episc. translat.* qvod & à Jure Saxonico non est alienum, uti patet *ex Articul. II.* Weichbild. *ubi gloss. n. 10. & Art. 88. l. 3.* LandR. *& ibi gloss. lit. a.* ac deniq; (3) ut reus in pœnam solummodo arbitrariam condemnetur, non etiam ad Palinodiam s. Recantationem seu æstimationem Injuriarum, prout attestatur *Carpz. prax. Crim. p. 2. qv. 95. n. 87. & Jurisprud. forens. p. 4. c. 42. d. 4.*

XXIV. Devenimus jam ad illas qvæstiones, an veritas convitii excuset aut sublevet pœnam Injuriantis, & breviter Resp. aut expedit Reipublicæ scire crimen objectum aut non. In priori casu affirm: qvia si hoc probet, venia ipsi datur; nè delicta maneant impunita *L. Eum qvi nocentem. 18 ff. de Injur: L. ita vulneratus ff. ad L. Aqvil.* Inter est enim Reipublicæ provinciam malis hominibus purgari & delinqventes debitis coërceri pœnis *l. 13. ff. de Offic. Præs.* In posteriori casu vero neutiqvam; qvia animus Injuriandi adest & ita pœnam meretur. Nam ubi talis adest, dolus abesse non videtur, qvoties nempe aliqvid de genere prohibitorum i. e. qvod LL. seu moribus prohibitum sit, admitti-

mittitur *l. 5. C. de Injur.* & ibi *Godofred. Sichard. ad l. 6. C de dolo mal. n. 6.* At ubi Injuriandi animus adest, Injuriarum actio datur, etsi verum esset convitium.

XXV. Sed qvid, teneturne ille, qvi verum crimen objecit in famoso libello, qvæ diffamatio furtum spirituale alias appellitari solet *Joh: Schneidw: ad §. 1. Inst: de Inj: n. 4.* Et omissis aliorum opinionibus contrariis Resp. Etsi hoc casu reus famosi libelli ab omni pœna immunis non sit, qvia talis pestilentissimus diffamator violat justitiæ Sanctissimæ ordinem. Nam cui curæ est Salutis publicæ integritas, ille accusare potest, ut dicit *l. unic. C. de fam: lib:* aut etiam denunciare. Attamen veritas convitii eatenus ipsum excusat, ut à pœna ordinaria liberetur, & ita qvoq; sancitum reperitur *in Constit: Elector: 44. p. 4. §. fin: verb:* Da er gleich folgends könte aus führen/daß derselbige gleichwohl auch will führlich entweder mit Stauppen Schlägen Verweisung oder Gefängnüß nach gelegenheit der verbrechung gestraffet werden sol/ *ubi Dan: Moller: n. 5. Harpr: ad §. 1. Inst: h. t. n. 161. & Bocer: c. 5. n. 19*

XXVI. Cæterum ob carmen seu scriptum famosum damnatum intestabilem esse *l. carmen 21. ff de test: l. Cornel: 5 §. fin: cum l. seq. ff. de Injur:* dicitur. Sed ex *l. unic: C. de famos: libell. P. H. O. art. 110. Const: Elect: 44. p. 4. Petr: à Plac: in Epit: delict: l. 1. c. 3. n. 2. 3 & 4. Jul: Clar: in Prax. Crim: §. fin: q. 68. n. 25. Menoch: de arbitr: Jud: l. 2. cent: 3. c. 263. n. 34. Berl. p. 5. Concl: 67. n. 8.* Latet authores & qvasi authores libellorum famosorum non modo uti dictum intestabiles esse, sed & aliis pœnis, imo capitis in jure coerceri, qvam tamen *Glossa in d. l. unic: C de fam: libell:* & interpretes tanqvam nimis rigidam & duram aliqvo modo mitigare & rectius statuere videntur, qvod qvis propter famosum libellum tum demum ultimo supplicio afficiatur, si crimen expressum, si verum esset & probaretur, esset capitale & ultimo supplicio dignum; si vero non sit capitale, eadem animadversione diffamator coerceatur, qva unumqvodq; delictum & scelus in libello objectum, si verum esset, veniret puniendum, & sic pœna talionis locum habeat Valde enim absurdum & iniqvum foret ob qvamcunq; contumeliam capitis

pœnam

pœnam imponere. Neq; aliter in toto Germanico Romano Imperio observatur propter Sanctionem Invictisſimi Caroli V. manifeſtam *art. 110.* Verb: Welcher jemandt. &c: Conſpirat Jus Saxonicum *p. 4. Conſtit: 44.* Sed ſi in libello famoſo auctor nomen ſuum exprimat, an pœna locum ſibi vindicabit famoſi libelli? Negantium opinioni ſubſcribere nil vereor propter verba *d. Carol: Conſt: art: 110.* expreſſa: ibi und nach der Ordnung der rechte mit ſeinen rechten Tauff und zunahmen nicht unterſchreibet qvæ ſatis innuunt, pœnam hanc ei demum irrogandam eſſe, qvi nomen ſuum nō ſubſcripſit, unde à contrario ſenſu eum qvi nomen exprimit neqvaqvam pœna illa teneri, dixerim: qvamvis qvidam ſunt, qvi textum illum explicent non de ſubſcriptione componentis famoſum libellum, ſed de ea, qvæ ſecundum ordinem juris fit in Judicio ab accuſatore, qvi crimen aliqvod adverſus alterum intentat, cujus fit mentio *in l. libellorum 2. l. ſi crimen 7. ff. de accuſ: l. unic: C. de fam: libell:* Attamen hanc explicationem verba *d. art: 110.* non admittunt: de famoſo enim libello ejusq; ſubſcriptione ibidem agi clarisſime patet ex verb: Durch Schmähebrieffe / zu Latein liber famoſus genandt / die er ausbreitet und ſich nach ordnung der Rechte mit ſeinen rechten Tauff und Zunahmen nicht unter ſchreibet. Legitima vero accuſatio & delatio qvæ fit corā judice famoſus libellus non eſt nec dici pot eſt *Carpz: prax: Crim: p. 2. q. 98. n. 24.*

XXVII. Qværis, qvid de Cæſare & principibus ſi in illos Libelli famoſi conſcripti ſint, an author pœnæ capitali ſubjiciendus? & videtur negative decidendum, qvia potisſima ratio ob qvam pœna capitalis & ſimilitudo Supplicii infertur in dominis terrarum non obtinet. Ergo & diſpoſitio ceſſabit. Ac docent Hiſtorici Auguſtum & Tiberium Pasqvillos non magnifeciſſe *Sveton: in Auguſt: c. 55. & in Tiber: c. 28.* qvod idem dicitur de Theodoſio *l. 9. Hiſtor: Tripart: c. 32.* Aliis alius ſenſus fuit, qva de re videatur *Alberic: Gentil: de leg: l. 2. c. 20. & Jacob: Menoch de Arbitr: judic: l. 2. c. 4. c. 377. n. 8.* Verumtamen adhibenda prudentia, ſi libellus eo ſpectat, ut ſubditorum animi à principibus abalienentur, gravisſima opus eſt animadverſione. Cæterum

pœnam

pœnam ſi famo libelli *in L. un. C, de famos. libell.* ſancitam, *Ord. Criminali Car: V. ut & Novella 44. p. 4.* repetitã, moribus non ſervari in genere ſcribitur *Schultes ad D Ecius Coler. 154 n. 14.* cujus ratio forſan ea eſt, qvod ipſum fundamentum d. l. un. nempe pœna talionis in calumniatores olim exerceri ſolita dudum in deſvetudinem abiit.

XXVIII. Injuriarum autem actione condemnatus notatur infamia tam in ditionibus Electoris Saxoniæ qvam alibi docent: *Moller: in Conſtitut: Elect: 42 p. 4. n, 17, Chil: Konig: proceſſ: c. 59. §. 7. Berlich: p. 5. Concl. 63 n. 4.* Fallit hoc 1) Si reus per procuratorem ſe defenderit & ſententia condemnatoria in hunc fuerit lata *l, 2. ff. de Obſeq: parent: & patr: præſt: Johann: Harpr: §. 10. n. 130.* 2) Si pœnam in qvam condemnandus eſſet ante litem conteſtatem ſolverit, *panorm: in c. cum te 23. X. de ſentent: & R. Jud: n. 2. & 6, Weſenb: in tit. ff. de his qvi not: infam: n. 9.* aut 3) declarationem fecerit, ſe verba illa animo injuriandi non protuliſſe poſtea autem non auditur ſed contra eum ſecundum *Conſtitut: Electoral: 42 p. 4* proceditur, *Dan: Moller ibid: n. 32.* qvod ultimum tamen ita limitandum eſſe exiſtimo, qvando ſcilicet injuriæ, qvarum nomine reus convenitur ſunt leviusculæ non valdè atroces juxta *tit. 1. proceſſ: Judic: §.* Beſonders aber in verb: zumahln wann ſich befindet daß die Sachen von keiner ſonderlichen wichtigkeit ſeyn. ſ. non ſatis liqvidæ ſed obſcuræ uti declarat *Nov: Ordin: Polit: tit:* von Injurien *§. 1. & 2.* verb: Als ſezen und wollen wir / wann die Injurien etlicher maſſen Zweiffel-hafftig &c. 4. & Ultimo ſi reus contra propoſitam actionem injuriarum tales qvoq; exceptiones proponere poſſit, qvæ ſe ipſo jure vel dum opponuntur, actionem tollunt qvod fieri poteſt actore etiam invito.

XXIX. Tollitur injuriarum actio non tantum nudo pacto ſed etiam ſatisfactione. Remiſſione, Morte ante litis conteſtationem, diſſimulatione, Retorſione, Juramento præſtito & deniq; præſcriptione.

XXX. Pacto extingvitur injuriarum actio, qvia de delictis privatis omnino concessum est transigere, ita ut actio ipso jure sublata intelligatur *l. 17. §. 11. l. 27. §. 2. ff. de Pact*: qvod tamen Serenissimus ita limitavit, ut Judex nihilominus reum punire debeat, etsi actor cum eo transegisset. *Nov: Ord: Polit: tit: 6.* Von Straffe anderer Laster §. 8. verb: Es sol aber nichts desto weniger dem verbrechere eine tapffere Geldbusse seinen vermögen nach/ad pias causas anzuwenden zuerkandt werden/& eò collimare videtur *Dn: Carpzov: prax: Crim: p. 2. q. 97. n. 41.*

Satisfactione & qvando Injurians ad delendam injuriarum actionem se gratiæ injuriati submittit *l. 17. §. 6 ff. de Inj: Zobell: p 4. dist: 7. n. 18.* Remissione sive tacita sive expressa, adeo ut semel remissa ex pænitentiâ revocare neqveat *d. l. 17. §. 6. l. 11. §. 1. ff. eod:*

Morte s. ejus qvi passus est Injuriam s. illius qvi fecit Injuriam, nisi lis cum defuncto contestata sit *l. Injuriarum 13. in pr: ff. de Injur*: criminalis tamen injuriarum Actio morte rei omnino tollitur, etiam post litis contestationem l. unic: *C. ex delict: defunct: l. ult: ff. ad l. Jul: Maj: Matth: Wesembec: p. 1. cons: 22. n. 6.*

Dissimulatione qvando ridet bibit ludit cum adversario s. injuriante mit Spiehlen/essen/Trincken und andern freundlichen geberdten und Gemeinschafften die einer mit einen pfleget/darmitt er Freundtschafft helt/werden die Injurien auffgehoben juxta Gloss: Ordin: LandtR: l. 3. art. 31. super verbis oder schläget vers: Dann dergleichen mag einer erlassen oder vergeben. Attamen distingvendum est: aut læsus ex spontanea voluntate lædenti propinat aut ex necessitate s. honestatis ergò als ein Reih oder Gesundtheit Trunck (per antiphrasin:) in illo casu inducitur remissio, in hoc minimè *Marant: in Specul: Aur: p. 1. d. 1. n. 97. Fomann: di-*

sput:

sput: 27. thes: 17. lit: O. Qvamobrem hodiè solent Aulici pocula injuriantis Jure aulico accipere auff Hoff-Recht/ h. e. citra præjudicium injuriæ, vulgò Ich wartts auff Hoff-Recht. Ich bringe dirs auff Hoff-Recht/ *Andr: Gail: de Arrest: c. 14. n. 19.*

XXXI. Aboletur item verbalium injuriarum actio Retorsione, qvi enim incussam sibi notam rursus excussit frustra judicium postulaverit. *Bartol: de Sax: ferrat: Consil: Criminal: tom. 1. cons 5 n. 12.* Est enim naturalis defensio, ut verba verbis tollantur *Moller: ad Constitut. Electoral: 42. p. 4. n 37.* Tollitur qvoq; Injuriarum actio qvando per juramentum purgationis reus se ab instituta actione liberat & v.c. jurat, qvod non injuriandi animo id dixerit s. fecerit *l. non damnatos in fin: C. ex qvibus caus; infam: irrogat: Joach: à Beust ad l. postea qvam. §. si damnetur ff. de Jur: jurand: n. 18.*

Deniq; Injuriæ verbales, etiam scriptæ, nec non leviores reales, puta si qvis colaphum alicui impingat s. ita verberet, ut recentes vibices sangvisq; subter cutem se diffundens, lividis maculis corpus deforment, Als da jemandt Bludrünstig Braun und Blau geschlagen wird/ anni utilis lapsu præscribuntur, i. e. ex eo tempore, qvo qvisq; rescivit, jactam in se esse injuriam computandi *l. 5. C. de Injur: Andr: Gail: l. 2. Obs: 105.* qvia actio injuriarum est odiosa ideoq; restringenda potius qvam extendenda. *l. 42. ff. de pœn: l. 155. § ff. R. J. c. odia 15. de R. J. in 6.* Hanc enim opinionem approbavit & confirmavit *Const: Elector. 46. p. 4. post. pr*: Ubi: daß die verjährung von der Zeit an als der Injuriatus solche erfahren und zuwissen bekommen hatt/ gerechnet und zu lauffen angefangen werde.

XXXII Tempus vero de anno & die Saxonico vulgo Jahr und Tag in hisce ditionibus Elect: Saxon: præ-

ciſe intelligendum eſſe tradunt Conſult: Conſtitut: *Sax. tom*: 2. *p*. 4. *q*. 61. *n*. 2. *Johann Jacob* Hartraufft *Exercit: pract: quæſt: exerc*: 7. *n*. 27. Sed nos contrariam opinionem ceu benigniorem ita veriorem eſſe ſtatuimus *Petr: Heig*. 3. 1. *q*. 16. *n*. 42. & *ſeq*. *Dn: Bened: Carpz: Prax: Crim: p*. 2. *q*. 97. *n*. 15. & *Jurispr: for. p*. 4. *C*. 46. *def*: 3. *n*. 1. & *ſeq*. Atrociores vero Injuriæ *E. g*. Ubi qvis ita verberatur vel vulneratur ut membrum ejus aliqvod debilitetur ſ. os frangatur & ejusmodi ſimiles als Kämpffer oder beinſchröttige Wunden Lämbdnis und dergleichen qvemadmodum & famoſi libelli, item qvando ex L. Diffam: C. de Ing: manum: agitur, nonniſi 30. annis anno & die in foro Saxonico præſcribuntur *l. item* 14. §. *in cauſ: ff. qvod met: cauſ: geſt: er: Myns: c*. 1. *Obſ*. 48. *Conſt: Elector: d*. 48. *p*. 4. *Dan: Moll: ibid. n*. 20.

XXXIII. Hæc ita de Injuriis ex Jure civili & Saxonico dicta ſufficiant: qvibus adjicienda erant qvæ in foro Saxon. Electorali per Edicta *de* 5. *Octob*. 1670. & 3. *Mart* 1677. tum circa ſatisfactionem injuriati, tum circa pœnam injuriantis noviter ſtatuta ſunt. Sed malumus Lectorem ad ipſos fontes allegatos remittere dicentes interim

S. D. G.

